

timerem, cui omnes nascimur? Detrahe hoc inaestimabile bonum, non est vita tanti, ut sudem, ut aestuem. O quam contempta res est homo, nisi supra humana surrexerit! Quamdiu cum affectibus colluctamur, quid magnifici facimus? etiamsi superiores sumus, portenta vincimus. Quid est, cur suspiciamus nosmetipsos, quia dissimiles deterrimis sumus? non video, quare sibi placeat, qui robustior est invaletudinario. Multum interest inter vires, et bonam valetudinem. Effugisti vitia animi: non est tibi frons ficta, nec in alienam voluntatem sermo compositus, nec cor involutum; nec avaritia, quae quidquid omnibus abstulit, sibi ipsi negat; nec luxuria pecuniam turpiter amittens, quam turpius reparaet; nec ambitio, quae te ad dignitatem nisi per indigna non ducet. Nihil adhuc consecutus es: multa effugisti, te nondum! Virtus enim ista, quam affectamus, magna est: non quia per se beatum est, malo caruisse, sed quia animum laxat, ac praeparat ad cognitionem coelestium, dignumque efficit, qui in consortium Dei veniat. Tunc consummatum habet plenumque bonum sortis humanae, quum, calcato omni malo, petit altum, et in interiorem naturae sinum venit. Tunc juvat inter sidera ipsa vagantem, divitum pavimenta ridere, et totam cum auro suo terram: non illo tantum, dico, quod egressit, et signandum monetae dedit, sed et illo, quod in occulto servat posterorum avaritiae. Nec potest ante contemnere porticus, et lacunaria ebore fulgentia, et tonsiles silvas, et derivata in domos flumina, quam totum circumeat mundum, et terrarum orbem superne despiciens, angustum, et magna ex parte opertum mari, etiam quia exstat, late squalidum, et aut ustum aut rigentem. Sibi ipse ait: hoc est illud punctum, quod inter tot gentes ferro et igni dividitur? O quam ridiculi sunt mortalium termini! Ultra Istrum Dacus non exeat: Strymo Thraecas includat: Parthis obstet Euphrates: Danubius Sarmatica ac Romana distermine: Rhenus Germaniae modum faciat: Pyrenaeus medium inter Gallias et Hispanias